

Christoph Friedrich Ayrmann

**Lugubris Cygni Hanovici, Leones Inter Humi Prostratos, Evolantis Cantus, In  
Tristissimo Funere Serenissimae Principis Ac Dominae, Dominae Charlottae  
Christinae Magdalena Johanna, Landgraviae Ac Principis Haereditariae  
Hassiae ... Kal. Jul. A. R. G. M DCC XXVI. Beatissime Defunctae, Darmstadiique,  
A. D. V. ID. Jul. Eiusd. Anni ...**

Giessae: Mullerianis, [1726]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831849339>

Druck Freier  Zugang






~~Oswald Weigel~~  
Antiquarist & Auctions-Institut  
Leipzig, Königstr. 1.

1903  
weigl. coll. 5.9.11.

St. /  
2 inv.


A215




(Hessen)

R-1135

AK: 00 F.





Index Scriptorum in hoc Volumen  
mine contentorum

- 1.) Frau - Ehndaußniss Dorotheen Augustin Käni - Erzg. Lin zu Hessen,  
Hofesfrau Herzogin zu Hessen-Darmstadt,  
Wolfsburg, u. v. Hamm-Erdel,  
im Balh. Menzer Anhau-  
dig. 1862.
- 2.) Programma Tubingense cum Joh. Ulr.  
Pragkri nomine Academia Panegy-  
rico in memoriam Ludovici VI. Land-  
gravii Hassiae Tübinga. 1878.
- 3.) Samuelis Andreae nomine Academia Mar-  
sicensis Oratio Panegyrica in Carolum  
Hassiae Landgravium, cum Carmine  
Academia Genethlaco. Marsurgi 1890
- 4.) Caroli Luca Panegyris in Carolum

1.

1. Hassia Landgraviū & ejus natalem quadragesimum quintum. Gintellii 1698.
2. Jean Phil. Lāu Panegyris in nuptias Friderici III. Landgravatus Hassia heredis & Ludovicæ Dorotheæ Sophiae Regie Brandenburgie Principis. Berolini 1700.
3. Ludov: Grey: Ditsch Panegyricus Funeris in memoriam Dorotheæ Charlotte Hassia Landgraviae natae e domo Anoldina. Giesse 1605.
4. Ernest: Ludow: de Gemmingen Panegyricus Ernesto Ludovicio Landgraviō Hassia dictus Giesse Hassorum 1705.
5. Elegie sur la mort de Louise Dorothee Sophie Princesse Royale de Prusse Herrin d'arr de Westen Cassel decréé à Cassel 16 Nov: 1705.

91

- 9.) Castrum Doloris Georgio Landgravi  
Hassiae in Expugnatione Barcelona  
eiusdemq; Fortalitii Montis suis mortuo  
positum a Justo Eberhardo Passern  
Darmstadii 1708.
- 10.) Christophi Arnoldi de Voigt Oratio Pa-  
negyrica Hassiae iuventutis Prince-  
psibus dictus, eum Programmate Aca-  
demico & Carminibus Giesjæ Hassorum  
1707.
- 11.) Programma giesense in nativitatem  
Ludovici Hassiae Principis. Giesjæ  
Hassorum 1720.
- 12.) Frid: Herm: Zoll & Joh: <sup>13</sup> Ni: Gune-  
ci nomine Academie Bintelensis  
Orationes Funebrae Panegyrici in  
memoriam Caroli I. Hassiae Land-  
gravi

gravii eum Programmate Academicō. c. finit  
Hintelk 1730.

14. 13) Christoph. Frd. Fürmanni Volum Occasio-  
ne Connubii Maximiliani & Friederice Char-  
lotte Principum Hassia 1720.

15. 14) Epusdem Luctus in funere Principis Her-  
editaria Hasso-Darmstadiæ Data Comi-  
cis & Heredis Hanovia. Giesse 1726.

16. 15) Christiani Brueckhauppii nomine Ade-  
mia Julia Gratulatio Solemnis in nuptiis  
Friederici Landgravi Hassia Principi;  
eum Carmine Academia Göttingensis  
& alio Germanico c. finit Helmst.  
1740.

44

LUGVBRIS  
CYGNI HANOVICI,  
LEONES INTER HVMI PROSTRATOS,  
EVOLANTIS CANTVS,  
IN  
TRISTISSIMO FVNERE  
*S E R E N I S S I M Æ*  
PRINCIPIS AC DOMINÆ,  
DOMINÆ  
CHARLOTTÆ  
CHRISTINÆ  
MAGDALENÆ  
JOANNÆ,

LANDGRAVIÆ AC PRINCIPIS HÆREDITA-  
RIÆ HASSIÆ, PRINCIPIS HERSFELDIÆ, COMITIS CATTIMELIBOCI,  
DECIÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ, SCHAVMBVRGI, ISENBVRCI, BV-  
DINGÆ, CETERA, NATÆ COMITIS HANOVIAE, REINECCIÆ ET  
BIPONTINÆ, DOMINÆ MVNZENBERGÆ, LIECHTENBERGÆ,  
OCHSENSTEINII,  
CETERA,

KAL. JVL. A. R. G. c<sup>lo</sup>cc XXVI.

BEATISSIME DEFVNCTÆ,

DARMSTADIIQVE,

A. D. V. ID. JVL. EIVSD. ANNI,

SOLENNI POMPA  
MAIORVM TVMVLIS ILLATÆ,

EDITVS,

*ATOVE*

*IN*

MVSARVM TEMPLO

PRÆSENTI ORATIONE

REPETITVS,

HVMILLIMOQVE CVLTV DEDICATVS,

CHRISTOPH. FRID. AYRMANNO  
HISTOR. P.<sup>L</sup>P.

GIESSÆ, LITTERIS MULLERIANIS

1726



**Q**VAM sedulo sibi aliisque docta persuaserit antiquitas, cygnum, quam primum mortem sibi ingruentem persenserit, suauissimum solere concentum edere, nemini uestrum, A.O.O.H. obscurum esse potest. Cuius quidem rei cum ab aliis alia afferatur ratio, mihi ad candorem animi & rectitudinem, cuius inter alia imaginem ista candidissima reliquarum omnium auis refert, spectauisse uidentur ueteres, illudque hoc quasi symbolo significare uoluisse, ingenuum in homine rectumque animal, etsi per totam eius uitam absconditus delituerit, aut pondere aduersitatum iacuerit oppressus, ante extremum ramen ut plurimum halitum, uel saltum in ipso mortis articulo, enitescere, iucundissimumque ceteris spectaculum praebere. Quam tristem uero, quam lugubrem, fuisse existimatis cantum Cygni Hanouici, Celsissimum intelligo Illustrissimumque Comitem ac Dominum, Dominum IOANNEM REINHARDVM, Comitem Hanouiae, Reinecciae, & Bipontinum, Dominum Munzenbergae, Liechtenbergae, Ochsensteinii, cetera, Cuius antiquissimae Gentis Insignia Cygnus ornat? Cantum inquam lugubrem, quem Ille, ultimus Suæ Stirpis Masculorum Heros, in ista, gloriosissimis dignissimisque immortalitate actis, ad supremam propemodum mortalitatis lineam producta ætate, in funere edidit acerbissimo, minimeque expectato, unicæ uniceque dilectæ Natæ, Serenissimæ Principis ac Dominæ, Dominæ CHARLOTTAE CHRISTINAE MAGDALENAE IOANNAE, Landgrauiae ac Principis hæreditariæ Hassiae, Principis Hersfeldiae, Comitis Cattimeliboci, Deciae, Ziegenhainæ, Niddæ, Schaumburgi, Isenburgi, Budingæ, cetera, natæ Comitis Hanouiae, Reinecciae, & Bipontinæ, Dominæ Munzenbergæ, Liechtenbergæ, Ochsensteinii, cetera, Dominæ nostræ Clementissimæ, heu, nuper præmatura morte terris hisce ereptæ, & ex amplexibus exoptatissimi Soceri, Serenissimi Principis ac Domini, Domini ERNESTI LVDOVICI, Landgrauii Hassiae, Principis Hersfeldiae, Comitis Cattimeliboci, Deciae, Ziegenhainæ, Niddæ, Schaumburgi, Isenburgi, Budingæ, cetera, Domini ac Nutricii nostri Clementissimi, Mariti item uita obrioris, Serenissimi Principis ac Domini, Domini LVDOVICI, Land-

grauij ac Principis hæreditarii Hassiæ , Principis Hersfeldiæ ,  
 Comitis Cattimeliboci, Deciæ, Ziegenhainæ, Niddæ, Schaumburgi,  
 Ilenburgi, Budingæ, cetera, Domini nostri Clementissimi , Parentum denique Celsissimorum atque Illustrissimorum, ad superas beatorum euocatæ sedes. Videor mihi præsens exaudire mœstissimi Parentis effusos ex intimo pectoris singultus , planctus & querelas , accusantis adeo cœli inclem tam , & cum uitæ anteactæ candore & integritate quasi expostulantis , in largissimum postremo lachrymarum imbre propemodum dissoluti . Siccine , ait , post cetera Gentis meæ funera , tibi , proh dolor ! nata , ultimum uale dicere , inuersoque naturæ exequias ire ordine , aspera fata iubent ? Quod meum facinus & commissum tantas in me Numinis irati plagas , & atrocia uerbera , concitauit ? Te profecto decuit , quod a parentibus nascitura accepisti beneficium , nobis , uergente ad senium , ultimamque rerum humanarum metam , ætate , reddere , lumen esse nostrum in tenebris , in curis solatium , dolorum medicina , gaudiorum aurora , sol quodcumque reliquum est uitæ , deliciæ denique , sicut eras , nostræ ac uoluptates . Nunc sine te media die atra cingimur caligine , senectus rigidissima hieme occupatur , agimur incertis cynosura destituti uentis , fulcro subtræcto titubamus , reliqua quæ nobis instant acerba dum cogito , toto corpore perhorresco . Quis aliquando filius , quæ filia , quod alioquin omnes solent exceptare , parentibus nobis , grauatis annis , & uiuendo fessis , cœleste ad postremum iter , cura mundanorum abdicata , aggressuris , aderit , concidentia algentiaque souebit membra , labiis suprema figet pallentibus oscula , emergenti in sublime spiritui ultimum inclamabit uale , & , quod extremum sibi uindicat munus pietas , oculos nobis rigantes hiantesque comprimit ? Seu mihi charissima tua Genitrix hoc prius officium præstiterit , siue ego illi , tu rectius utrique nostrum parentalia persoluisses iusta . Sed , proh Deum immortalem ! parentem oportet parentare filiæ . Lingua hæret , animus obstupecit . Haue beatissima anima , uale . Nos inter lachrymas & suspiria sequemur .

Vera-

Verane audio, an me falsa sopitum somno imago ludit?  
 Utinam uero solum me terreret falsum tristissimi casus ui-  
 sum! Sed, proh dolor! in publicum iam quaquauersum  
 luctus ille emanauit. Tota luget aduersam Celsissimi Illu-  
 strissimique Comitis ac Domini sui fortunam Hanouia,  
 mœstiamque Eius ac fletum squalore & tristitia sua imita-  
 tur. Certat mœrore & lachrymis Hassia, orbatamque sece  
 in præsenti futura olim exoptatissima patriæ Matre acerbis-  
 sime dolet. Plenæ luctu urbes, pleni uici, plenæ publicæ,  
 plenæ priuatorum ædes, turres altæ longe lateque spargunt  
 per agros & compita dolorem, æther ipse campanarum  
 ictibus uerberatus contremiscit. Quis uerbis ausit expri-  
 mere, quantas curas & sollicitudines uerset, ad hoc unum  
 angusto pectore, fortissimus alioquin Heros, Serenissimus  
 longeque Clementissimus patriæ Pater? Parum uidebatur,  
 quamuis re uera maximum, quod de Serenissima Domo  
 detraxerat antehac fati rigor, dummodo pergeret fortuna-  
 tissimis auspiciis Nurus Serenissima sarcire iacturam, nume-  
 rosaque Sobole Stirpem perpetuo duraturam locupletare.  
 Nunc exiguum esse credit pro inuidia fortunæ Nepotum  
 numerum, cumque crebro supputando, expertam semel  
 temporis rapacitatem timet. Sortem uero præ ceteris mi-  
 seretur Serenissimi Principis hæreditarii, quem obitus desi-  
 deratissimæ lectissimæque Coniugis tanta constrinxit pecto-  
 ris anxietate, ut, quanto in Illa adhuc gauisus bono, quanto  
 cum Illa priuatus fuerit, aduertens animum, quo se uertat  
 plane nescius, gemitu & suspiriis fere disrumpatur. Prostra-  
 tos humi dolore Leones cernimus Hassiacos Hanouieosque:  
 Quid mirum igitur, si uos etiam, A. O. O. H. publica teti-  
 git calamitas, testandique publico indicio luctus causa,  
 mecum hodie in hunc Musis consecratum locum inuitauit:  
 Anne intuemini ipsas præsides sanctissimi huius loci, nu-  
 mina nostra, Musas tristitiae signa prodere, uultuque de-  
 presso Apollinem seposita obtorpuisse lyra?

Solute mecum in irreparabili ista Serenissimæ Illustris-  
 simæque Gentis Hasso-Hanouicæ clade lachrymarum  
 claustra. Quin potius temperate in præsenti mecum a-

lachrymis, ut lugubrem Cygni Hanouici cantum, luctum  
item utriusque Serenissimæ Celsissimæque Domus, percipere rectius ac ponderare queatis. Quem ego luctum,  
quem cantum lugubrem, quo penitus causa & ratio eius  
perspiciatur, quintuplici symbolo in hac splendidissima  
Musarum æde dedicabo, ut, quibus præcipue dotibus Sere-  
nissima Princeps ac Domina, Domina CHARLOTTA CHRI-  
STINA MAGDALENA IOANNA, Landgrauia & Princeps  
hæreditaria Hassiæ, Princeps Hersfeldiæ, cetera, nata Comes  
Hanouïæ, cetera, Domina quondam nostra Clementissima,  
nunc inter cœlites beatissima, publicam antehac omnium  
lætitiam ac uoluptatem animi excitarit, iam uero earum  
desiderio tantum prouocat dolorem, tantasque ex-  
presserit uniuersis lachrymas, & uobis constet, & Musarum  
beneficio ad posteritatem seram transmittatur. Agedum  
igitur, quod nostra debet Serenissimæ Domui Hasso-Darm-  
stadinæ uenerabunda pietas religioque animi, cultus item  
humillimus uirtutis & meritorum in Celsissima Illustrissima-  
que Gente Hanouica postulat, erigamus, uel maxime con-  
spicuo in hoc Musarum templo loco, monumentum, in  
cuius superiori parte, inter beatissime defunctæ Titulos, &  
Insignia utriusque Serenissimæ Celsissimæque Domus gen-  
tilitia, constituatur oppositum duobus solibus Speculum,  
excipiendis radiis solaribus, excitandisque eorum reflexione  
flammis, aptum, hoc addito lemmate,

Ignes augentur ab illis.

Quo quidem symbolo, quod primum nostræ contempla-  
tionis caput erit, Heroicæ indolis, ex Serenissima Illustris-  
simaque Gente Hasso-Hanouica resurgentis, arctissimam effi-  
cacissimamque in beatissime defuncta Serenissima Principe  
concentrationem declarabo.

Heroicæ autem indolis non sunt capaces quælibet hu-  
miles de uulgo animæ. Summus & sapientissimus rerum  
opifex arbiterque Deus egregiis semper & excellentibus qui-  
busdam mortalium mentibus, ceu singulare suæ bonitatis  
donum, inspiravit luculentiores cœlestis sui ignis flammulas  
& scintillas, quibus ad diuini nominis amplificandam glo-  
riam,

A

riam, conseruandumque aut restituendum in sublunari hoc  
theatro mundi dignum conditore seruatoreque suo decus &  
ordinem, rebus saepe praeter omnium spem & opinionem  
præclare gerundis, incitarentur. Perlustrate mecum, & ad  
animum uestrum reuocate omnium ætatum, regionum, gen-  
tium ac populorum, memoriam. Putatisne, sine peculiari  
quodam Numinis impulsu, magnum illum Alexandrum, in  
tenera adhuc ætate, perceptis patris sui bellis & victoriis, in-  
gemuisse, ueritum, ne adulto sibi gloria subiiciendi imperio  
suo terrarum orbis præriperetur? Debellauit igitur post pa-  
rentis fata, famæ filii ultro concedentia, & deuicit, incre-  
dibili fere celeritate, innumeras bellicosissimasque Europæ  
Asiæque nationes, ut alterius intolerabilis frangeretur fastus,  
alterius impietas & luxuria corrigeretur, nefanda denique  
reliquarum scelera uitiaque ingentibus calamitatibus retun-  
derentur atque emendantur. Contemplamini sequentium  
longa serie ætatum regna & principatus. Quidni, post lon-  
gam Imperii in Occidente, quod Romanis olim cesserat, rui-  
nam, cuius regum principumque licuerit, ut, quod ma-  
gno reseruatum fuit Carolo, subiectorum populorum bono  
& saluti, collapsam pridem eius restitueret dignitatem ma-  
iestatemque, nisi diuino, qui in isto enituit, ceteris autem  
uidetur certo modo defuisse, ignæ illius Heroum indolis in-  
stinctu opus fuisset? Intuemini Germaniæ nostræ commodo  
natos Henricos, Ottones, Fridericos, &, o utinam Gentis  
immortalis decus & statorem! maximum patriæ suæ instau-  
ratorem Rudolphum. Deprehendetis in illis, non incertis  
dubiisque indiciis, diuinæ illius indolis imaginem, quam  
Persæ olim regum suorum propriam existimabant esse. Sed  
illud quoque animaduersione dignissimum in annalium  
omnis ævi perolutione occurrit, uirtutem Heroicam ut-  
plurimum in progenie Heroum præstantissimorum frustra  
quæri & inuestigari. Quis ignorat, plurimorum regnorum  
conuersiones & interitum ex hoc præcipuo quasi fonte pro-  
manasse? Quem fugiunt maximarum clarissimarumque fa-  
miliarum probra & dedecora, Caii, Claudii, Neronies, Do-  
mitiani, Commodi, Bassiani? Pudet enim ex aliis, præfer-  
tim ad nostram productis ætatem, hodieque bene cognitis,

Germaniæ in primis nostræ, gentibus & familiis exempla proferre. Istud adeo non insolens aut obscurum evenit, ut Heroum filii ad prouerbium uulgo per traherentur. Non sine nutu igitur diuino id quoque contigisse cendum erit, ut in illustribus quibusdam familiis parentes Heroicam aliquando ingenii sui uim & præstantiam inter hæreditaria ad posteritatem bona, longa felicissimaque plurium seculorum serie transmittenterent & propagarent. Non necesse habeo exempla e longinquo, aut ab exteris, dudumque obscuræ obliuionis nocti inuolutis nationibus petere. Satis inter omnes constat, in Serenissima Illustrissimaque Gente Hasso-Hanouica plurimos, inde a compluribus retro seculis, extitisse Heroas, & continuas Heroum, ad nostra usque tempora, fortunatissimasque successiones. Succurrunt uobis sine dubio in Serenissima Gente Hassiaca non inferiores Heroica uirtute autore generis sui, magno illo orbis domitore Carolo, & nisi rerum semper gestarum, at animorum saltem consiliorumque magnitudine, pares, Henrici, Ludouici, Ottones, Hermanni, Guilelmi, & ipso cognomine testatus magnanimitatem Philippus. Quis rebus inde a prima ætate pace belloque præclare gestis celebrior illo extitit? Proh Deum, quantus ille fuit Princeps!

*Quem sese ore ferens! quam forti pectore & armis!*

*Credo equidem, nec uana fides, genus esse deorum.*

*Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille*

*lactatus fatis! Quæ bella exhausta canebat!*

Testis Heroicæ eius fortitudinis Thuringia, Franconia, Suevia, quin Germania uniuersa, armorum sonitu & clangore ab eo terrefacta. Summus rerum arbiter, magnos exorsus Germaniæ motus, & conuersiones rerum, illum idoneum præ ceteris iudicauit sanctissimorum suorum consiliorum instrumentum, dum diuisam adhuc in plura capita Hassiam rursus in hoc uno sociauit. Qui quidem, pueritiæ uix egressus annos, lætis auspiciis regimen eius suscepit, ipso inuictissimo Cæsare præmaturam in eo ingenii agilitatem testimonio suo comprobante, concessa ætatis, legibus alioqui constitutæ, uenia. Quantopere cito pri-

mis

mis iuuentutis annis prudentia & uirtus eius enituerint, quantam illi autoritatem & existimationem apud omnes conciliarint, dici uix potest. Maxima statim Philippus rerum maximarum pars cœpit esse. Socius tum bellorum, Hildesiensis, Sickingiani, & quod rusticorum seditiones post se traxerunt, præcipuum fœderatorum partibus adiecit pondus. Inciderant hanc in ætatem uere Heroica illa patriæ nostræ tempora, quibus, pro autæ religionis emendatione, acerrime inter se, animis non minus, quam armis, contenterunt excellentissimi Germaniæ Heroës. Horum inter neque primos, nec postremos, pro ea qua polluit animi sagacitate, esse uoluit. Susceptam uero semel magna circumspetione religionis causam ad extremum usque halitum, cum uitæ aliquando fortunarumque periculo, defendit. Quis, nisi Heroico præditus spiritu, fuisset ausus, tam potenti, tam inuicto, uastissimorum, & per utrumque terrarum orbem sparsorum regnum, maximarum item opum, classium, exercituumque Domino, qualis, qui tunc temporis ad communis reipublicæ clauum sedebat, erat Carolus, feruentibus denique antiqua tuendi sacra studio plerisque Germaniæ Proceribus Statibusque, quis inquam tali rerum statu, etiamsi liber ab omni cum Imperio nexu, ausus fuisset, quod Philippus intrepido aggressus est animo & peregit, ut scilicet deliberato animo, allectis inuenti nuper dogmatis asseclis, publice id, quod multi clandestine saltem approbabant, profiteretur, omnibusque ditioni suæ subjectis commendaret non solum, sed etiam euocatos ex omnibus cœnobiis & collegiis, ad reddendam fidei suæ rationem, qui Pontifici Ro. addicti erant, dimitteret, nisi uitæ institutum sententiamque mutarent. Verum enim uero fortissimus ille Heros, Dei causam se, ratus agere, longe maiora his deinceps ausus est. Monasteriorum collegiorumque sacrorum ædificia & redditus conuertit in templa, stipendiaque purioris doctrinæ magistrorum, in nosocomia, & similes pios usus alios, scholas præsertim, & quam primus instituit Academiam Marpurgensem. Non dissimu-

lauit quas elegerat & sequebatur partes in publicis Imperii  
 comitiis, præcones doctrinæ emendatæ adduxit & audiit.  
 Cum in ceteris omnibus fidissimum amicissimumque Cæ-  
 sari, cunctisque Imperii Proceribus, animum satis abunde  
 comprobasset, in unico religionis negotio restitit uehemen-  
 tius, & inexorabilis mansit. Exinde cum durius ipsi ui-  
 deretur, quod in iisdem comitiis promulgabatur, pro reti-  
 nenda, aut restituenda, religione auita, Cæsar's edictum,  
 inter primos & præcipuos intercessit, formulæ fidei paulo  
 post exhibitæ subscripsit, & cum in foedus nonnulli pro tu-  
 endis sacris commutatis coirent, principem se autorem, du-  
 cemque sociorum, professus est. Non passus se ab institu-  
 to uanis dimoueri rumoribus, quin allato ad se societatis,  
 quam nonnulli contrarii dogmatis patroni in sui & socio-  
 rum perniciem pepigisse dicebantur, indicio, prior in armis  
 comparuit, & terrore iniesto, fulminis instar, metus & ti-  
 mores inanes dissipauit. Denique ad extremam necessita-  
 tem adducto religionis negotio, ausus est socia uertere in il-  
 lum arma, pro quo ista alias aduersus immanissimum no-  
 minis Christiani hostem iunxerat, & cui pro salute patriæ  
 aduersus exterros coniungere illa maluisset. Quantam in  
 eo bello prudentiam, quantam rei militaris scientiam, for-  
 titudinem, moderationem, testata reliquerit, publica pro  
 me loquatur annalium fides. Neque dubium, quin aliis  
 longe subsecuturus fuerit euentus, si summum imperium  
 militare solus ille tenuisset, & nisi subita fortunæ commu-  
 tatione Deus illustriorem longe aduersorum exantlatione  
 gloriam Serenissimi Principis reddere constituisset. Capti  
 igitur, quem præcipuum bellicorum operum consiliorum-  
 que habuerat socium, cum ipse extra aleæ iactum positus,  
 aut in tuga, aut in armis, salutem posset experiri, ultro  
 persuasus ab amicis, socio obuiam iuit carceri. Quis pri-  
 uatorum integro hoc in statu infractoque animo erat per-  
 pessurus, libertatem & innocentiam suam per longum tem-  
 poris interuallum ab arctissimæ custodiæ vinculis & squa-  
 lore premi & contaminari? Sed tamen incomparabilis ille

He-

Heros, Herculeo animo cunctis superatis molestiis, qualem  
 in secundis, talem in aduersis rebus se exhibuit, neque re-  
 stituta libertate ultionem aut vindictam cogitans, a diuina  
 illa æquanimitate discessit. Taceo restitutos ab eo quon-  
 dam Principes Imperii exules & afflictos, taceo ferocium  
 quorundam, & Cæsari Imperioque metuendorum, spiritus  
 repressos. Hæc enim similiaque angusto præsentis sermo-  
 nis spacio minime includi sinunt, quæ autem hactenus ex-  
 pösui, absolutam Heroicæ in Serenissimo hoc Landgrauio  
 Hassiæ indolis imaginem satis superque declararunt. En-  
 præstantissimum Heroicæ uirtutis exemplum ! Quas uero  
 egregias animi dotes, quas uirtutes, quod multis impensis  
 & laboribus suis confirmatum religionis studium, optimus  
 ille Princeps filiis suis, ex tenore ultimæ voluntatis, tradi-  
 dit & commendauit, hæc omnia perfectissime in illis ex-  
 pressa deinceps apparuerunt. Quin cum nascendi quodam  
 iure & ordine eorum compotes ipsi eorumque posteri non  
 immerito crederentur, augustissimi Imperatores, qui cogni-  
 ta accuratius & perspecta eorum animi rectitudine, con-  
 stantia & virtute, quovis modo colendos & conciliandos  
 sibi exinde censuerunt, hoc illos exornarunt priuilegio, ut  
 quibus eorum immatura adhuc ætate regimen paternarum  
 ditionum obueniret, hi duodeuigesimo ætatis anno, liberi a  
 consuetis Imperii legibus, ipsi habenas reipublicæ capessere  
 & tractare possent. Insignem autem, ceteros inter Philip-  
 pi filios, Georgium primum huius nominis Hassiæ Land-  
 grauium fecit pietas, filium Ludouicum fides præterea in  
 patriam & inuictissimum Imperii Caput plane singularis  
 nobilitauit. Pro quibus decoribus heu, quantas uigilias,  
 quantos labores, quantos sumtus, ambo impenderunt ! Tri-  
 stissima Ludouicus, cum filio Georgio, attigere superioris  
 seculi tempora, quibus in pertinacissimum funestissimum  
 que Germaniæ uniuersæ bellum erupit uetus animorum de  
 religione diuersa sentientium exulceratio. Plus quam He-  
 roica opus erat uirtute, si quis a præsentissima calamitate  
 & ruina se suaque tueri, aut quocunque saltem modo ser-

uare instituisset. Argo oculatiorem esse oportebat, si quis inter odia Principum, & dissensionem capitis membrorumque, ferrum inter & ignes, medium sequi uoluisset uiam, ad salutem unice reipublicæ, tam sacræ, quam ciuilis, collimantem. Vtrumque uero sëpe, præter mortalium spem & opinionem, a Serenissimis istis Hassiæ Landgraviis fuit præstitum. Latitante igitur in cineribus saltem belli flamma, Ludouicus, ceu Princeps iuris diuini & humani, publici priuatique scientissimus, & qui ciuilem prudentiam ueræ honestatis, pietatis, ac religionis præceptis, longo studio in alteram quasi conuersis naturam, temperarat, alienus ab omni partium studio, omnes cogitationes, consilia, operam, ad quietem & utilitatem, non magis Imperii, quam augustissimi Capitis eius contulit. Probarunt hoc illius institutum inuictissimi Imperatores Rudolphus, Matthias, Ferdinandus, eiusque prudentia, & rerum agendarum dexteritate perspecta, maximis eum Imperii negotiis, non obstante diuersæ religionis, cui ex animo bene consultum cupiebat, studio, adhibuerunt præfeceruntque, quales tunc causæ Iuliacensis, Francofurtensis, controversia Rudolphum inter fratremque Matthiam agitata, similesque aliæ existimabantur. Probarunt eius institutum alii quoque nonnulli Imperii Proceres, qui præ ceteris prudentia, status publici notitia, zelo religionis & candore, pollere censebantur. Quos inter princeps facile hoc loco iure suo meritoque, tum pro summa etiam, quæ in me est, erga Serenissimam Domum Saxoniam ueneratione, nominandus mihi est incomparabilis plane Saxoniæ Heros Ioannes Georgius huius nominis primus, qui tantopere illum coluit & dilexit, ut uitam quoque fortunasque, si opus esset, effundere pro illo non uereretur, filio autem Georgio, frequenti aulæ Dresdensis hospiti, desponderet filiarum natu maximam, eximum sui sexus decus atque ornamentum. Exorto tandem in Bohemia bello, causam & originem eius auersatus est, pactoque sui dogmatis sociorum foederi accedere noluit, siue quod repetita superiorum temporum memoria didicerat, Dei causam minime uiolentis hominum consiliis sustineri, siue quod infelicem societatis intempestiue initæ euentum præsentiret. Pacem igitur, siue inducias potius suasit, earundemque concilian-

ciliandarum præcipuuſ autor extitit, non ſine maximo ſui, fuarumque ditionum discriminē, quas, torrentis instar, hostilis inundauit & depopulatus eſt exercitus, iſpum Principem, cum filio Ioanne, captiuum abduxit, inter ſumma tamen pericula uirtute ſemper ſolito maiorem, omnibusque caſus iuriis ſuperiorem uifum. Eundem ſeſe, conuerſo mox in Germaniæ uifcera bello, præſtitit, maiora tunc afflictæ patriæ commoda nauaturus, niſi præmaturo fuifet obitu circumuentus. Interim quam pater inierat prudentiæ & uirtutis exquifitæ uiam, hac strenue perrexit filius Georgius huius nominis ſecundus, eosdemque, quibus ille gauifus erat, fautores & amicos habuit, adeo ut ipſe in filio Ludouicus adhuc ſuperelle uideretur. Admirati igitur utrumque ſunt & coluerunt exteri etiam reges ac principes, & magnus in primis Sueonum monarcha Gustauus Adolphus tanto Georgium ſtudio & exiſtimatione complexus eſt, ut quamdiu ille uixit, circumiecta inter finitimi belli incendia, ditiones eius tutas & ſecuras iuberet eſſe. Is uero ſtatim ab initio regiminis ſui acerbe doluit, noua tunc offenſionum, bellorumque grauiorum ſemina fuiffe ſparsa, cum reſtitutio bonorum ecclesiasticorum ſeuerius paulo urgeretur. Non tamen propterea ſalutem in armis unice quærendam censuit, ſed primo cum diſſentientibus, quod optimum eſt tranquillitatis conſeruandæ medium, iure & æquitate decertauit, deinde prouectis longius partium ſtudiis, magnis ſuis impensis, laboribus, itineribus, præcipuum ſeſe pacis conciliatorem exhibuit, eandemque ſine dubio procurasset, niſi, Sueonum interuentu & fortuna, ſociorum confirmatis animis, Martia prælata conſilia fuiffent. Sed incerta & dubia ut plurimum ſolet eſſe belli alea, neque ſatis firmo fundamento nititur, quicquid ui me tuque ſuffulcitur. Conuerſa igitur fortuna belli, immobilis Serenissimus ille Princeps perſtitit, rurusque, Dei procul dubio, in illa æquabilitate cum boni cauſa publici conſeruantis, deliniendis ſed andisque iratorum motibus operam dedit, neque ceſſauit unquam, donec post deploranda ancipitis & diuturni Martis opera, mutuaſque patriæ clades & calamitates, ſuis præcipue curis consiliisque, publica tan-

dem restitueretur diu desiderata atque exoptata quies. Id quoque ad immortalem eius gloriam pertinet, quod domesticas illas querelas & controuersias, quæ ab initio bellorum Germanicorum Serenissimam Domum Hassiacam distraherant diu & dissociarant, reddita ad postremum non exigua urbium & prouinciarum parte, finire maluit, quam suorum periculo & detrimento diutius alere ac fouere. Ita uero Serenissimus ille Princeps hoc profecto consecutus est, ut, uelut alter Numa, eandem pacis studio gloriam adipisceretur, quam alii bello & proeliis, utinam humano sanguine & uulneribus non contaminatam, famam nominis nunquam morituram sibi pepererunt. Per huius filium Ludouicum, paterna uestigia sedulo legentem prementemque, traducta est Heroica illa maiorum indoles ad præsentem Serenissimum Hassiæ Landgrauium, Dominum ERNESTVM LVDOVICVM, Principem ad Dominum Nutriciumque nostrum Clementissimum, cuius Heroica facta laudesque, communi pridem fama, & publica monumentorum communis assensu probatorum fide, celebratæ, ut hic loci studiosius a me accumulentur, summa sermonis instituti breuitas tenuitasque non permittit, quin potius, ad uitandam omnem adulationis speciem, ingenti historiæ iustæ uolumini referuantur. Heu, quanta Heroum gesta animosque contemplanti copia orationis dicendique seges nascitur! Dies me destituat, si præsenti sermone uellem enumerare reliquas, easdemque præcipuas saltem, non solum Serenissimæ Domus Hassiacæ, sed etiam Celsissimæ Illustrissimæque Gentis Hanouicæ, laudes. Cui enim ignota sunt magna illa, Hanouiae non solum suæ, sed Germaniæ uniuersæ, nomina, Vlrici, Reinhardi, Philippi? Magna eorum, antiquissimis statim temporibus, frequentia fuit & celebritas in communi illa priscorum Germanorum uirtutis palæstra, ludis Heroicorum temporum equestribus, quibus quid ualeret intrepidus & invictus animus, innatusque gloriæ appetitus, ueteres illi Heroës satis superque demonstrarunt. Quantis in Illustrissimo Comite Vlrico huius nominis sexto fuerint spiriti-

spiritus, quam necessaria Imperio inuictoque eius Capiti uisa uirtus prudentiaque, ex eo potest colligi, quod licet pro dignitate Imperii electionem Imperatoris Adolphi contra Albertum Austriacum male propugnasset, militiamque adeo Adolphi secutus fuisset, hoc tamen ad postremum uiato & debellato, æque chatus & acceptus exinde Alberto Imperatori, antea hosti, fuerit. Qui, agnita eius animi reætudine, indoleque Heroica, quo magis sibi Austriisque Hanouicam deuinciret Domum, Aduocatum constituit Imperii, Præfectura Wetterauæ prouinciali dotauit, sororique eius Adelhaidi facultatem concessit, in possessa a suis feuda Imperii, si fortuna ferret, succedendi, quod constat legibus alioquin esse interdictum. Insecuto quoque post tempore, quanta Illustrissimorum Comitum Hanouicorum in Imperio fuerit autoritas, quantum momenti in eorum amicitia situm existimarint augustissimi Imperatores, ex eo apparet, quod Alberti successores, Henricus, Ludouicus, cum æmulo Friderico Alberti filio, Carolus item, cum filio Wenceslao, certarint quasi inuicem in colenda ornanda que Gente Hanouica, uetera non solum eorum iura, ueteresque confirmando dignitates, sed noua quoque adiiciendo priuilegia beneficiaque. Quæ inter illud quoque, præmaturæ in Illustrissimis istis Comitibus Heroum indolis manifesto futurum argumento, extitit, quo permisum illis fuit, ut decimo octauo ætatis anno regimini, in prima forte adolescentia ad eos deuoluto, præcessent. Quæ ex illo tempore pro religione & salute reipublicæ gesserint, qua prudentia, fortitudine, constantia, pietate, difficultima Germaniæ tempora sustinuerint ac superarint, denique ut præsentissima sæpe pericula, cladem & iacturam ditionum fortunarumque, plus quam humano consilio, ac uirtute uere Heroica, cuitarint, clarius & illustrius longe ex ipsis historiarum documentis perspicietur.

O ter felicem ergo beatissime defunctam Serenissimam nostram Principem! cui non solum ex antiquo Heroum Celsissimorum atque Illustrissimorum semine nasci, & a

D

con-

consummatissimo Heroicæ uirtutis exemplo formari atque  
educari contigit, sed præterea in Serenissimis Principibus,  
Socero & Marito, diuinas Serenissimæ Gentis Hassiacæ do-  
tes proprius intueri licuit atque imitari. O perfectissimam  
mentem, quæ cœlestes duorum fulgentissimorum luminum  
concepit & conglomerauit ignes! Condensatis studio &  
multiplicatis naturalibus auræ caloribus, præter solitum ex-  
crescunt plantæ, frutices, flores, fructus, pulcherrimumque  
cunctis spectaculum edunt. Simili ratione fideli animo-  
rum cultura intenditur acumen, ampliatur prudentia, au-  
gescit uirtus. Eaque omnia præstantiora & durabiliora  
euadunt, quo plus aliunde roboris ipsis additur & firma-  
menti. Non secus ac machinæ concitatores redduntur  
motricium facultatum coagmentatione, templa tutius lon-  
ga columnarum serie fulciuntur.

Sed non sibi tantum seruant solis ignes, inclusos quasi  
intra se & absconditos, specula recipiendis radiis solaribus  
apta, quin potius ad id præcipue comparata depreher-  
duntur, ut collectis & concentratis feruoribus alia illumini-  
nent & incendant. Non sibi tantum terræ uiscera, hiatus,  
maria, fluminaque retinent, tanquam inutile luxuriantis na-  
turæ depositum, conceptas intra se, elaboratas, atque ad ma-  
turitatem perductas, pretiosissimas gemmas ac lapillos, me-  
talla auro argentoque onusta, salutaria denique semina, ra-  
dices, corallia, uniones, sed ut ad publicum aliquando usum  
in lucem proferantur. Eodemque fere modo hominum  
nonnullorum animi illustriores imaginis diuinæ faces, eius-  
demque infinitæ bonitatis thesauros abundantiores, recepe-  
runt, ut in aliis quoque istas accenderent, hos proferrent  
diffunderentque. Quam fortunati tunc censendi sunt pa-  
rentes, si, dotes ingenii sui & uirtutes ad liberos transmit-  
tendo, etiam post fata de hominum genere bene merean-  
tur? Princeps facile hæc pars est eius, quæ inter homines,  
humano consilio, opera & diligentia comparatur, immor-  
talitatis. Quapropter sufficiebat minime beatissime defun-  
ctæ Serenissimæ Principi, iam pridem inter uiuos ad nomi-  
nis

nis immortalitatem contendenti, conspicuam esse omnium sui sexus laudum, atque ex his quos exposui natalibus, educatione, consuetudine, & assidua imitatione, collectorum ornamentorum cumulis, & condecoratam, nisi post obitum quoque relinquenter animata a se Heroum Hasso-Hanouicorum qui in ipsa erat spiritu, spirantiaque magnum quod-dam sui exempla. O incomparabilem totique Hassiae salutarem fructum, quem produxit arctissima in Illa, utriusque Serenissimæ Illustrissimæque Gentis, Heroicæ mentis uirtutisque consociatio! liberis ex Ea procreatis, in quorum puerili ætate ueterum sese exerit Heroum indoles, & qui ante loquelæ usum magni iam præclarique animi signa ediderunt. Te decet, in tenera ista ætate, insitas Tibi atque implantatas a Serenissimis Parentibus Tuis diuinitatis particulas quasi, scintillas, igniculosque colligere, iisque sedulo inhærere, Princeps iuuentutis LVDOVICE. Tuum est, quotidie magis magisque ea suscitare, ut in magnam aliquando gloriæ erumpant flammam. Potes autem, & certissime facies, si Serenissimæ Tuæ Matris recordere, semperque magnitudinem uirtutum, quæ Tibi cum Ea, heu nimium mature! interciderunt, cogites, &, quod Tibi facillimum erit, Cui illæ hæreditario quasi iure competit, assequi studeas. Si porro uiuentes adiungas Heroicæ uirtutis absolutasque imagines, Serenissimum Celsissimumque Auum paternum maternumque, horumque uestigia premas. Si monitorum Serenissimi Parentis Tui memor, semper in Eum intuaris. Denique si cum Fratribus Tuis ac Sororib[us] uirtutis ueræque laudis studio contendas. Sic in Te Vobisque omnibus Serenissima Vesta Mater, etiam mortales inter, immortalis erit.

Etsi uero, quæ haec tenus exposui, ita comparata sunt, ut reliquias omnes una beatissime defunctæ Serenissimæ Principis laudes complexa uideantur, eximiæ tamen, quæ in Ea singulatim se conspicendas præbuere, animi dotes & uirtutes merentur omnino, ut, quamuis longissime quascunque dicendi uires superent, prolixiori tamen in præsenti sermone, non quidem ostentationis, sed admirationis nostræ, & reli-

gionis animi testificandæ causa, commemoarentur. Erit autem cetera inter ornamenta primo loco nobis celebranda, quæ uel primo obtutu intuentibus illam sele prodidit, infuscata Eius Pietas, quam alio, & quod priori subiungendum erit, symbolo declarabo, exposito scilicet in claram lucem Adamante, additis uerbis sequentibus,

Durat & fulget.

Est autem primum hoc ueræ pietatis, quam sapientum veterum, gentilium quoque, nonnulli principium & fundatum omnium uirtutum appellarunt, argumentum, si res inter aduersas æque ac secundas eadem semper maneat, & intemerata perduret. Res inquam aduersas æque ac secundas. Hi enim sunt periculosissimi illi scopuli, quos iactata huius uniuersi pelago uitæ nostræ nauis, diligentissima læpe circumspetione adhibita, uix uitare potest. Sunt hæ uastissimæ illæ Syrtes, Scylla & Charybdi rapaciores, quæ innumera quotidie animorum naufragia causant. Quanta, proh Deum! eorum deprehenditur multitudo, qui rebus ad uotum fluentibus supra communem hominis conditionem efferuntur, planeque obliuiscuntur non solum Dei, sed etiam sui ipsius æque ac eorum, quos confortes uitæ fortunarumque natura constituit? Turgent sicut mare tumidis inflatum uentis, montesque fluctuum omni momento nouos parturiunt, quibus obuia quæque deprimant & prosternant. Erigunt se in altum instar cedri, & radicum firmitate confisi, neque fulmina, nec procellas timent, humilia quæuis infra se despicientes. His crebro occinendum erat sapientissimum illud Philippi Macedoniae regis dictum, *Memento te esse hominem.* Nam si te hominem cogitabis, humanum nihil abs te alienum putabis esse. Si humanitatem considerabis, imaginem intueris fragilitatis, inconstantiae & uarietatis. Fluctus æquoris licet ad sidera fuerint sublati, post diuturnum tamen laborem & conflictum concidunt, atque ad communem undarum æquabilitatem reuertuntur, neque tam altas cuiusdam fortuna traxit radices, quo minus aduersitatum turbine aliquando euerti, aut calamitatum iictibus disstringi potuerit ac dissipari. Tutissimum contra blandientis illius prospero rerum omnium successu idoli somnia ludibriaque remedium, paratiissimumque

mumque pietas est aduersus laqueos eius & insidias refugium, utpote quæ ad immensum illud diuinæ sapientiæ ac bonitatis profundum semper recurrendo, æquum in secundis pariter & aduersis rebus animum seruat. Sunt enim e contrario, qui rebus asperis turbidisque despondent animos, spes abrumpunt, nihil in consilio & ratione opis reliquum putant, Dei item & sui ipsius nimium oblii. His si aliqua inesset pietas & religio, uersaretur ipsis tunc sine dubio ante oculos aureum illud diui Imperatoris Rudolphi huius nominis secundi effatum, quo crebro usus esse traditur, *Omnia ex uoluntate Dei.* Quis enim uel summa nimium angatur aut desperet in miseria, si diuino nutu illam sibi credat accidisse? Pietas itaque contra omnes etiam quarumlibet iniuriarum impetus firmissimum præstat clypeum & munimentum. Quid igitur casus & fortuna in illam ualeat? Obelisco similis est, qui siue lenes spirent Etefiae, siue violenti Euri Notique prælia ipsi parent, siue molli aspergatur imbre, siue grandine incussa præcipiti desuper uerberetur, idem semper remanet, nec latum quidem unguem de firmitate & constantia sua recedit. Alterum porro infucatæ pietatis est indicium, si natiuo splendore fulgeat, qui quorumuis intuentium oculos statim perstringat, non tectus sit, non dissimulatus, nedum fictus, aut maculis contaminatus. Hæc enim ex intima eius natura profluunt. Ardet illa flammis, quæ creberrimis interuallis ad diuinum purissimi luminis fontem ascendentis, ab eius fulgore uicissim illustrari expetunt. Nihil autem cum impuro, falso, impioque igne sanctissimo Numini commercii esse potest. Gratissimum eadem est, quod ab homine offerri Deo potest, sacrificium. Indignum igitur omnino diuino Numinе cendum erit, quicquid ad ostentationem tantummodo comparatum, interno ualore, quem externa pollicetur species, destituitur. Suauissima est pietas, acceptissimaque eidem mutica. Concentum autem eius a pluribus exaudiri conuenit, si in aliis etiam chordæ laudum, ad præ-

E

stan-

stantam eo iucundiorem harmoniam, excitari debent, quemadmodum in compluribus s<sup>e</sup>pe instrumentis musicis, contactu unius eundem in ceteris quoque cieri sonum comprehendimus. Sed h<sup>a</sup>c omnia pietatis infucatae libeamenta clariora longe, quam mortali penicillo adumbrari, aut uel sapientissimi mortalium effato explicari possunt, accuratiusque expressa, in beatissime defuncta Serenissima Principe enituere. Nihil hic concipi aut cogitari potuit fictum, tectum, simulatum. Quali se animo, ingenuo plane & liberali, hominibus exhibuit, talem etiam Deo aperuit et consecrauit. Quanta quæso censenda illa fuerat felicitas, ab unico maximi laudatissimique Herois ac Principis Hærede in consortium thori, fortunarumque omnium amplissimarum societatem, adscitam & allectam esse? Illa tamen pristinam nihilominus in summa felicitate constantiam conferuauit, nunquam supra communem humanitatis conditionem efferri, aut a summo illo omnium bonorum fonte largitoreque defle<sup>t</sup>i atque auocari potuit. Ei confisa prospero rerum suarum statu, integraque & illæsa sanitate corporis, eiusdem quoque uoluntati, morbo diuturno afflictis & debilitatis uiribus, quicquid sui mortale & terrenum erat summa æquanimitate permisit, neque inuita immortalem spiritum, quo tanquam cœlesti deposito uia fuerat, in benignissimas conditoris sui manus resignauit. Nunc ergo secura sempiterno illo & inenarrabili infucatae pietatis præmio, aspectu Dei & consortio beatorum, fruitur, fragrantissimumque sanctissimi Eius cineres laudatissimæ istius uirtutis odorem ad seram, nec immemorem tanti decoris, posteritatem spargent.

Succedat nunc altera e beatissime defunctæ Serenissimæ Principis maxime conspicuis animi dotibus, Amor coniugalis, quem ego symbolo conuersi ad solem Heliotropii, antecedenti iuxta latus apponendo, designabo, sequentibus adiunctis uerbis,  
**Affixus sequitur.**

Pri-

Primum enim, quod requiritur ab amore coniugali, est constantia. Sequi instar floris huius debet suum solem, sed affixus nihilominus, sicut ille natali solo, ita uirtuti & constantiae suae inhærente. Quapropter simulacrum eius rectius ad exemplum Termini, aut Arcadicæ Mineruæ, quam lapidi fingeabant alligatum, concipietur, quam si petitæ ex ueritate erudita alæ ipsi adiungantur. Sed salua res est. Non diuersa a nostra ueterum fuit sententia, qui sub alarum specie uagos tantummodo, furtiuos, & illicitos amores denotare uoluerunt, in coniugali uero amore, si quidquam aliud, constantiam uel maxime desiderarunt. Celebratissima apud illos hac uirtute occurrit, celeberrimi Troiano bello Herois coniux, Penelope, quæ absente in quartum usque lustrum marito, sanctissime nihilominus iura coluit coniugii, neque, incerto licet ad postremum & dubio illius reditu, persuasa præterea a suis, atque a compluribus potentissimisque procis appetita, cessit, insidiis eorum dolo tandem etiam clusis, dum telam inchoauit, quam, ne unquam absolueret, noctu semper retexuit. Ita uero, maritum diu summa fide & constantia expectando, anus facta est, eaque re immortale nomini suo decus comparauit. Nam hodieque

*Durat opus uatum Troiani fama laboris,  
Tardaque nocturno tela retexta dolo.*

Alterum amoris coniugalis requisitum est arctissima animorum consociatio, mutuumque obsequium. Sicut enim naturalis heliotropii est ad solem respectus, propter insitas a natura in utroque corpore uires & facultates, eamque ob causam neque lunam, neque cetera pari cum effectu sidera intuetur, ita in amore coniugali nativa & spontanea inesse debet duorum animorum uoluntatumque consensio, intimusque & indissolubilis nexus. Heliotropium porro solem spectat orientem, eundemque occidentem obtuetur, siue serenus appareat, siue nubibus & uaporibus abscondatur, eum sequitur, constanterque expectat, donec reuertatur. Sol

uicissim certus florem reuisit adamatum, eumque siue nascen-  
tem, siue intercidentem, siue in uigore summo constitutum,  
semper inuariatus aspicit, obiecta autem forte nubila dissipa-  
t, radiisque suis disspellit. Non dissimili uero etiam ratio-  
ne in amore coniugali, quocunque rerum statu, quacunque  
conditione uitæ & fortunæ, inuiolabilem immutabilemque  
animorum coniunctionem, & sequelam mutuam, oportet  
esse. Requirit isthæc quoque ueræ indoles & natura ami-  
citiae, cuius ille quoddam quasi genus, quin firmissima non  
male appellatur amicitia. Postulat consensum istum animo-  
rum, & obsequium, communis amoris conditio. Quod enim,  
secundum effatum sapientissimi ueterum Romanorum Sene-  
cæ, infinitorum sæpe malorum, seditionis atque odii, causa  
esse solet, hoc præcipuum est amoris uinculum, *Idem uelle.*  
E qua quidem mentium uoluntatumque consensione oritur  
suauissima illa harmonia, cuius indicandæ commendandæque  
gratia, summus ille, & pro diuino olim habitus, Græcorum  
Philosophus Plato lyram, pro compendio tunc omnium con-  
centus suauitatum habitam, inter amatoria instrumenta re-  
tulit. Alii ueterum, ut arctissimam animorum in amore  
coniugali coniunctionem oculis subiicerent inspiciendam,  
imaginem eius constituerunt, duas uinculo inuicem colliga-  
tas & diuaricatas faces. Alii mœstum in solitudine uiduuni-  
que depinxere turturem, quam auem, inseparabili plane con-  
suetudine commercioque, adeo sancte seruare coniugii fœ-  
dus prodiderunt, ut neque post fata coniugis dilectæ obli-  
uiscatur, quin sola quod reliquum est uitæ gemitu suspiriis-  
que transfigat. Sed quid miramur in turture conseruatum  
post fata amoris uinculum? Tantam nonnulli ueterum ne-  
cessitudinem, tam arte colligatum amoris coniugalis nodum,  
esse crediderunt, ut etiam rumpere aliquando posset indis-  
solubilia alioqui fati uincula. Quam ob causam Orpheus tra-  
diderunt ad inferos, repetendæ uxoris defunctæ gratia, de-  
scendisse, postquam diuturno eius desiderio fuisset defatigatus.

*Ipse causa solans agrum testudine amorem,  
Te dulcis coniux, te solo in litore secum,  
Te ueniente die, te decedente canebat.*

Prout

Prout desiderium illud princeps Poëtarum Latinorum exprimit. Referunt paulo superiorum temporum historiæ, in Archiduce Austriæ Maximiliano, postea Romanorum Imperatore, eiusque coniuge Maria Burgundica, tantam fuisse animorum conspirationem, ut ille præmaturum eius obitum non solum ægerrime tulerit, uerum per omnem deinceps uitam, mentione eius iniecta, a lachrymis aut suspiriis non potuerit abstinere. Ulterius olim prouexit amoris impetus Artemisiam, Mausoli Cariæ regis uxorem, quæ defuncto, quem tenerime adamarat, marito, non solum ingens extruxit, memoriae eius conseruandæ, atque inter orbis adeo miranda relatum, monumentum, ludosque quibus ille celebraretur instituit, sed contusa quoque eius ossa & cineres potui immiscuit, uitaque in perpetuo exacta luctu, ad postremum tabe confecta expirauit. Sed quid aliunde repeto exempla colligati arctissimo animorum uinculo amoris coniugalis, cum ex domestica historia elegantiora longe eius documenta suppetant. Ludouico fidi constat adeo tenerum cum suauissima coniuge Magdalena Brandenburgica amorem intercessisse, ut, leniendi post eius obitum incredibilis doloris causa, iter in Palæstinam suscipere constituerit, transactaque in cœlibatu ætate, mortem præsentiens, creberime illam cogitarit, quin iungi post fata, qua proxime pateret uia, desideratissimæ coniugi, unice præceperit. Georgium eius filium legimus, tanta animorum consensione diuturnum triginta quatuor annorum coniugium cum expotatissima coniuge Sophia Eleonora Saxonica coluisse, ut indies crescere & augeri amor uideretur, saepiusque extrema ætate ex ea quæsiuisse, quanam in reali quam ipsi gratiam, cum in hoc uno omnis sua defixa staret cogitatio, referre posset, quin morti uicinum tradunt exarasse literas, quæ post obitum suum relictæ a se coniugi remitterentur, quibus, porrecta quasi dextra, suauissimis uerbis ultimum illi uale dixerit, collaudata simul fide eius & amore, gratum testatus animum, & superstitione optima quæque apprecatus.

F

His

His similibusque illustribus amoris coniugalis exemplis accedat nunc optimo suo iure beatissime defuncta Serenissima Princeps, constantia & fide in Serenissimum Coniugem suum nulli superiorum secunda, & ab eo uicissim tenebrimo adamata modo. Porrigunt Tibi, Serenissime Princeps LVDOVICE, ex sepulchro sanctissimi Eius Manes, non gelidos, sed amoris igne adhuc calentes, pallidos quamuis lacertos, amplexus suauissimos, ultimaque expectantes oscula. Verba dum proferre nequit umbra charissima, id tamen ardentissimis, quæ percipis, suspiriis optat unice & precatur, ut, quæ abscissa præmatura fuit morte uitæ suæ tela, Tuæ attexatur, ut denique quam diutissime sibi Tuisque superstes uiuas, ualeas.

Frustraneus autem uidetur esse coniugalis amor, nisi ad consentaneum diuinæ sapientiæ & bonitati, cui natales suos ipsum acceptos refert matrimonium, finem dirigatur, & qualem reliqui etiam insiti hominum animis appetitus exceptant. Inanis quoque uideretur procul dubio, pro ingenii humani hebetudine, ipsa pietas, nisi adiecta promissione Deus cultorum sui studia & ardorem excitasset. Quod si igitur promissa a Deo hominibus sancte colentibus ipsum bona circumspicimus, inter præcipua occurrit copiosa parentum siboles, cuius ope genus eorum ac familia, nullo peritura tempore, propagentur. Ad eandem uero etiam rem præcipue comparatum natura sua deprehendimus matrimonium. Denique in illustribus gentibus familiisque ex hoc capite sæpe numero regnorum ac principatum, populorum item & nationum integrarum salutem pependisse, experientia comprobatum constat. Non silenda igitur illa quoque in beatissime defuncta Serenissima Principe uirtus, quæ ex pietate Eius & amore coniugali, quadam ueluti necessitate, profluxit, Studium scilicet, quod in Ea se exeruit, numerosæ prolis. Quod ut superioribus subiungendo quodam symbolo testatum relinquam, constitutam quarto, inferiore tamen ceteris, loco duas coniunctas inuicem Dextras, cum quinque in uno digito Annulis, hoc addito lemmate,

Pignus non sufficit unum.

Non

Non enim satis illi erat, unici Landgrauiatus Hasso-Darmstadii, & tot insignium paternorum aitorumque decorum, Hæredis esse Coniugem, tenerimi amoris luculentissimum præstare exemplum, Deum denique infucata pietate colere & uereri. Pignus etiam amoris diuini æque ac coniugalis indubitatum accipiendum reddendumque, Serenissima item Illustrissimaque Gens ueterum Heroum Hasso-Hanouicorum ab interitu erat uindicanda. Non ignorabat Princeps Serenissima, longe pulchriorem cœli, quo plura in eo radiarent sidera, aspectum esse, iucundiora uiridaria florum elegantissimorum picta multitudine, & uarietate exornata, apparere, pretiosius fulgere plures in uno annulo Smaragdos. Compos igitur uotorum facta, suauissime in matrimonio exacto nouem annorum interuallo, sex diuerso tempore felicissime edidit partus, quorum tres fuerunt masculi, reliqui feminei sexus, e quibus dux tamen duntaxat filia Serenissimam matrem uiuendo superaruit, reliqua æternitatem Ipsi prægustauit. Nullum est dubium, quin, si diuturniorem Ei usurram uitæ fata concessissent, lecutura fuisset exempla Matrum in Serenissima Domo Hassiaca fœcundissimarum, Christinæ, filiæ Ducis Saxonie Georgii Djuitis, quæ ex Philippo Magnanimo, unico aliquandiu suæ gentis masculo, decem liborum parens facta est, Magdalenæ, natæ Comitis Lippiæ, e qua Georgius primus nouem procreauit liberos, Magdalenæ item Brandenburgicæ, & Sophiæ Eleonoræ Saxonice, quas modo celebraui, Ludouici quinti & Georgii secundi Coniugum, quarum illa duodecim, hæc undecim liberos produxit, durum denique Ludouici sexti uxorum, matruni numerosæ sibolis fortunatissimarum. Nostra interea Serenissima Princeps multos satis Serenissimæ Domui Hasso-Darmstadinæ prouerasse censenda erit liberos, si in superstribus in primis tribus filiis, quod omnes futurum speramus certo optamusque, reuiuscant aliquando & reddantur Hassiæ Philippi, Georgii, Ludouici, Serenissimi uero præsertim Principes, Auus Parenque, eorum subsidio immortalitati mortales inter uindicentur.

En pulcherrimum in beatissime defuncta Serenissima  
 Principe uirtutum trifolium! Cetera, quæ deinceps com-  
 memoranda supererant, innumera fere eius decora atque  
 ornamenta, ne tenuitate sermonis mei, cuius exiguum in  
 me esse uim & copiam, nunc uel maxime, cum tantas  
 sum aggressus enarrare laudes, sentio, obscurentur magis,  
 quam illustrentur, uos rectius Musæ, idoneæ Heroicarum  
 mentium uirtutumque præcones, posteritati commendabi-  
 lis, tuque uelox rerum nuncia maximarum fama per totum  
 terrarum orbem diuulgabis. Illud unicum intactum præ-  
 terire nequeo, quod insigne addidit splendori & pretio Se-  
 renissimæ nostræ Principis pondus & augmentum, immor-  
 talitatem esse Celsissimæ Illustrissimæque Genti Hanouicæ  
 in Serenissima Domo Hasso-Darmstadina per Illam præci-  
 pue conciliatam. Ipsa quidem, proh dolor! in uiuis esse  
 desiit, prius tamen Celsissimum Illustrissimumque Comi-  
 tum Hanouicorum sanguinem, lætissimo prolis maximæ  
 spei prouentu, propagauit, eidemque ex sanctissimo Eius  
 cinere, tot inter suorum suspiria, piaque elato uota, noua  
 quasi accensa uidetur uita. Quod quidem ingens Eius de-  
 cus & beneficium, qui postremo a me loco sistitur, impo-  
 situs rogo Phœnix indicabit, uerbis circumdatus sequen-  
 tibus,

#### Ex cinere uita.

Ad æternam hoc feminei sexus gloriam pertinet, quod sa-  
 pe maximæ celeberrimæque gentes ac familiæ, deficienti-  
 bus, ut non raro fieri consuevit, masculis, carum ope &  
 subsidio ab interitu fuerunt uindicatæ. Plena exemplo-  
 rum uetus, plena nostra maiorumque est memoria. Ut  
 ceteras omittamus, ipsam modo paulo altius repetamus  
 Serenissimorum Hassiæ Landgrauiorum prosapiam. Viuit  
 in illis adhuc spiratque, Gerbergis beneficio, regius prisco-  
 rum Carolidarum sanguis. Sophia ueterum Thuringiæ  
 Landgrauiorum, eiusdemque regii sanguinis hæres, nouam  
 in

in iisdem maioribus suis uitam comparauit. Ad eosdem Comitum Cattimeliboci Deciaeque spiritum adduxit Anna. Per nostram denique Serenissimam Principem Celsissima Illustrissimaque Stirps Hanouica, simili ratione plurium veterum Germaniae Comitum & Heroum sanguine spirituque animata, in praesenti Serenissima Domo Hasso-Darmstadina ad posteritatem nunquam finiendam sistendamque producatur. Quod enim nescio quis, antiquum Hassiae contemplatus statum, secundum rei ueritatem pronunciauit,

*Mutauit dominos Hassia sape suos,  
liceat hic mihi, boni ominis causa, sequentem in modum  
commutare, & tanquam ueritatem, utinam sempiternam!  
proferre,*

*Mutabit dominos presentes Hassia nunquam.*

Sed non licet diutius coeptæ præsenti oratione a me, atque inchoatæ, rerum præstantissimarum contemplationi inhærere. Redit dolor, redeunt lachrymæ. Plura non adderem, nisi nostra nos moneret pietas, ut ex toto pectore Serenissimæ nostræ Principi beatissimas in æternitate sedes gratulemur, Serenissimo uero Patri patriæ, & Nutricio nostro indulgentissimo, Serenissimo item Principi hæreditario, nec non Celsissimo mæstissimoque beatissime defunctæ Parenti, Dominis nostris Clementissimis, uniuersæ denique Serenissimæ Illustrissimæque Domui Hasso-Hanouicæ, diuturnam uitam & felicitatem apprecedemur. Ad perpetuam uero etiam beatissime defunctæ Serenissimæ Principis memoriam, neque minus perennem luctus nostri testificationem, quod haecenus Ipsi, pro ingenii tenuitate, adornatum a me fuit in Musarum templo monumentum, sequentibus tandem inscribatur uerbis,


G

*Odecus*

O decus Aonidum! magnorum cura Parentum,  
 Deliciæ Soceri, Consortis amor Ludouici,  
 Heroum Soboles ueterum, Genitrixque nouorum,  
 Hassiacæ columen Gentis, spes omnis Hanoæ,  
 Nunc inter superum lætos accepta triumphos.  
 Respice prostratos hic ad Tua busta Leones,  
 Respice cantantes lugubria carmina Cygnos.  
 Ista Tibi pietas dolor & monumenta locauit.  
 Ni faceret patriæ Pater Ernestus Ludouicus,  
 Corruerent gemitu nutantis culmina Pindi.  
 Musarum Ille tenet minitantia tecta ruinam.  
 Et porro teneat! Votorum hæc summa meorum.







43 18

30.-

~~6925  
cat.~~

B 6 u 14 1966 F.

Hst of

D S W A L D V E L G E L  
B e s p r e c h u n g s - u n d B u c h h a n d l u n g  
L i p z i g , K o n i g s g a s t . 1



Der muntre, tapfre Prinz, ein Feind von langen Hoffen,  
Des Liebe Meer und Land zeithero unterbrach,  
Freut sich, daß nun sein Wunsch in so weit eingetroffen,  
Dß nach der langen Nacht sich zeigt der guldne Tag;  
Da Er, was der Geist umfangen  
Mit so brünstigen Verlangen,  
Dessen Feuer, dessen Gluth  
Dämpft kein Meer, loscht keine Fluth,  
Endlich in die Arme fasset, als ein unschätzbares Guth.

So groß mein Hosen war, spricht Er, wars doch zu wenig,  
Wenn Ich, den hohen Schatz damit vergleichen soll,  
Den Mir der weise Fürst, der Britten grosser König,  
Jetzt sendet zum Gewinn, und meiner Liebe Zoll:  
Was vor Dank soll ich Ihm geben?  
Wie soll Ich verbunden leben?  
Carolina, Deinem Geist  
Wird kein Opfer, wie es heist,  
t nach Würden angezündet, wenns auch Gold und Weyrauch  
speist.

Catten, meinem Volk, und der Cherusker Sprossen,  
Sunt dieses Glückes Strahl den allerschönsten Tag;  
Venn der Himmel sonst der Pallas Bild gegossen,  
Id es noch Troja schenkt, da me kein Wohl gebrach;  
Dis Palladium soll Hessen  
Chren, und niemahl vergessen,  
Dß es ein Geschenke sey,  
Dß der grössten Lieb und Treu  
würdig, denn es bringet dir die guldne Zeit herben.

Musen, welche sich am Leine-Fluß ergözen,  
enn sich ihr stiller Geist ins Alterthum vergräbt,  
Monen sich dies Band zu jenem hinzusezen,  
Heinrich recht vergnügt mit Adelheid gelebt,  
Da das Glück auf guldnen Wagen  
Hessen damahls hat getragen;  
Da ixt Cassels Friederich  
Liebt Mariam inniglich,  
sein Hoff ein solches Eden, und sein Land ein Seegens-Strich.

